

finem per Metaphoram causare, sic enim causa non esset, sed per Metaphoram agere seu efficere, Externa est ob rationem, quam cum Efficiente habet, quia scilicet essentiam corporis naturalis non ingreditur, sed extrinsecus saltem cum Efficiente concurrit. *Differentiam* largitur propria causalitas, quæ per voculam characteristicam *Propter* exprimitur. Præpositio hæc (*propter*) finem significat ait *Scalig. Exerc. CCL.1.* ubi iterum restrictio fit ad corpus naturale, quia enim hoc cognoscendum per ea, per quæ constituitur, constituitur autem per causas internas & externas, hæc etiam omnes sicquæ; adeò finis quoquæ; à Physico cognoscendæ sunt, si rerum suarum fatigisse videri vult.

Caput Secundum

Explicans

Divisiones Efficientis & Finis,

quæ sunt

Efficiens dividitur I. in *Universale & Particulare*, *Universale est*, quod ad unum & certum corpus naturale producendum determinatum non est. Estquæ; vel *primum*, quod supremum est & cuius influxu cuncta corpora naturalia producuntur, ipsum verò superioris causæ influxum ferre nequit. Tale est DEUS, à quo corpora naturalia omnia & singula; vel *secundum*, quod non planè supremum est, & cuius influxu multa quidem corpora naturalia producuntur, sed ita, ut & hoc ab influxu superioris causæ dependeat. Talia sunt corpora celestia, quæ in corporum naturalium generationes & corruptiones influunt, sed ita ut adhuc sub dominio DEI sint. *Particulare est*, quod ad unum & certum corpus naturale producendum determinatum est. Sic homo tantum hominum, non lapidem, non arborem, non equum, non leonem generat.

II. In *Remotum & Proximum*. *Remotum est*, quod corpus naturale mediatè & aliarum causarum interventu producit. Sic Sol est causa remota hominis, equi &c. *Proximum*, quod corpus naturale immediatè & sine alia cum causarum,

inger-